

Vita Philippi bibliothecarii
ipso auctore
humano hilarique lectori
dicata

Cur magistri munere fungi non possit.

Philippus e stirpe humili natus Toarciaci in vico Andecavensi pueritiam degit. A puero ei tam cordi fuerunt linguae antiquae, latinam dico atque graecam, ut in schola magna cum diligentia ad priscas litteras discendas incubuerit et magister post aliquot annos factus sit. At quoniam turbulentos discipulos nullo pacto coercere poterat, bibliothecarii officio electo, in bibliothecis universitariis urbium Valencenarum, Gandae, Telonis Martii laborare maluit.

De tribus bibliothecis.

Valencenis enim in bibliotheca universitatis studiorum quinque annos laboravit, ubi libros ad litteras, linguas, humanas scientias pertinentes curavit. Ibique jam anno 1998 paginas interretiales scripsit et publice edidit.


Duos autem annos in Belgicis Flandriis bibliothecarii munere functus est, in bibliotheca universitaria urbis Gandae. Illic libros professoris Van Elslander in catalogo descripsit et libros mutuandos a bibliothecis alienis petiit.

In bibliotheca universitaria Telonis Martii decimum jam annum periodicorum collectionem commentariorum ad scientias juridicas pertinentium gerit, simulque programmata computatralia scribit quibus, exempli gratia, statisticae contitui possunt vel latercula librorum nuper emptorum.

De linguis. Non tantum linguae antiquae ei cordi sunt, sed etiam lingua Zamenhofiana, sive Esperantica, atque lingua neerlandica cursim loquitur. Lingua quoque anglica ita scribere potest, ut libellum ad usum discipulorum qui bibliothecam utilius frequentarent verterit.

De ingenio. Philippus autem ingenio timido praeditus hominum turbas fugit. Quippe qui tacitus et modestus sit, garrulos et gloriosos odit, neque ad vana verba effundienda, sed ad res ipsas efficiendas contendit. Animi aegritudine afficitur et iracundia diu flagrat cum improba vel absurda ad contumeliam vel injuriam suam, sive potius ad contemptionem, accipiat.

Quamquam veritatem reverendam tenet, quam adipiscendam nullo alio modo nisi via et ratione putat, nihil tamen unquam pro certo habet et ita ambiguo animo saepe cunctatur, ut lemma sive titulus huic imagini supponi possit : « Nisi forte... »



Nisi forte...